

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Speculum Quaestionum moralium, in universam Aristotelis philosophi summi Ethicen

Case, John

Francofurtum, 1597

VD16 C 1242

Cap. XII. - An sapientia sie virtus diuinior & vtilior quàm prudentia? [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-109038](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109038)

*An sapientia sit virtus diuinior & utilior
quàm prudentia?*

An per se expetatur?

An nemo nisi bonus sit prudens?

QUÆ AD MODVM solis splendor
omnium reliquorum siderum
splendorem superat & obscurat: ita sapi-
entiæ lumen omnium reliquarum vir-
tutum serenitatem multis gradibus vin-
cit & excellit. Quæ enim corporis cum
anima, quæ rei mortalis cum æterna, quæ
prudentiæ cum sapientia fieri potest
comparatio? In fronte huius capituli lu-
dit quidem philosophus vltro citroque
textis & resolutis argumentis, quibus vi-
detur probare, nec prudentiam esse vti-
lem, nec sapientiam esse necessariam ad
bene beateq; viuendum. Sed omissis ar-
gumentis ad rem ipsam venio: primùm
ergo concludit philosophus sapientiam
& prudentiam esse virtutes expetendas
propter se: rationem addit, quia vtramq;
partem animi perficiunt, tam illam, quæ
in COB-

in contemplatione, quam hanc, quæ in actione cernitur. Secundò probat, quòd vtraque plurimum ad beatitudinem acquirendam conferat. Vt enim medicina sanum, ita prudentia foelicem: & vt sanitas ipsa sanum, ita quidem sapientia beatum efficit: quippe illa vt instrumento, hac vt principio foelicitatis vtimur. Tertiò id solum demonstrat quod proponitur, nempe sapientiam esse longè meliorem virtutem, quàm prudentiam: Si enim subiectum sapientiæ spectes, est mēs in quiete contemplationis, non in motu actionis posita: Si obiectum proponas, est, res diuina, æterna & incommutabilis: Si modum probandi consideres, est in rebus honorificis & necessariis inuicta demonstratio: Si finem est ipsa longè diuinissima beatitudo, quæ in sempiterna contemplatione primæ causæ vnioneque rerum omnium ad eandem causam ponitur.

Sapientiæ subiectum, Obiectum, modus probandi, finis.

Distinctio.

Sapientia | Subiecti, quia intellectus cōtemplatiuus sapientiæ & practicus prudentiæ subicitur,

est

est virtus
excellen-
tior quā
prudētia,
ex parte

Obiecti, quia res aeternae, diuinæ & separatae sunt materia sapientiae: at res mutabiles & contingentes prudentiae obiectiuntur.

Modi, quia sapiens demonstrando, prudēs autem consultando de suis obiectis disputat.

Finis, quia finis sapientiae est contemplatiua, finis verò prudentiae est actiua beatitudo.

Opp.

Finis prudentiae est bene viuere, sed finis sapientiae est solum scire. ergo prudentia est melior sapientia: Maior est Aristot. in fine huius capituli, ubi docet prudētem esse necessariū bonum virum. Minor est in prooemio decimi libri Metaph.

Resp.

Sapientia sumitur, vel pro assensu mentis in praemissis & conclusione demonstrationis, & sic non est melior prudētia vel pro intuitu prima causa, & sic melior est, non solum quia verum, sed etiam quia bonū intellectū reddit. Sapienter enim nemo nisi bonus primam causam, ut suam felicitatem contemplatur: finis ergo vera sapientiae non est tantum scire, sed bene scire, quod in se concludit bene viuere, iuxta illud, in maleuolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subditio peccato.

Opp.

In principio huius capituli docet philosophus, quod sapientia nulla in re versatur, quae beatum facit: ergo ea de causa non est melior.

Resp.

Resp.

*Non docet, vt ais, sed dicit: non cōcludit, sed obicit,
est enim obiectio non conclusio.*

Opp.

*Septimo Politicorum docet prudentiam maximè
valere ad felicitàem, ergo est nobilior virtus.*

Resp.

*Illic politicam felicitàem intelligit, hic verò theo-
ricam, quæ in seipsa vi sua vertitur.*

Opp.

*Plus prodest ciuitati prudentia per actionem: ergo
est melior quam sapientia.*

Resp.

*Argumentum non tenet, si essentiam & excellen-
tiam virtutis spectes: Neque id verum est plus prodesse
ciuitati, cum omnis actio à contemplatione fluat, & in
illam tandem redeat & resoluat.*

CAP. XIII.

*An omnes virtutes morum sine connexa
in prudentia?*

VLTIMA in hoc libro dubitatio est,
an omnes virtutes morum aurea
veluti prudentiæ catena denuncian-
tur? affirmat Aristot. deinciri. Sed
vt hoc dilucidius firmitusque probet,
primùm ostendit quasdam à natura no-

bs